

Hinc autem adspicitur,

Ut sese ostendens emergit Scorpios alte
 Posteriore trahens plexum vi corporis arcum,
 Quem propter nitens plumis convolvitur ales.
 At propter se Aquila ardenti cum corpore portat.

Deinde Delphinus.

Exinde Orion obliquo corpore nitens.

Quem subsequens

Fervidus ille Canis stellarum luce refulget.

Post Lepus sequitur,

Curriculum nunquam defecto corpore sedans.
 At Canis ad caudam serpens prolabitur Argo.

— — — — —

Hanc Aries tegit, et squamoso corpore Pisces,
 Fluminis illustri tangentem pectore ripas.

Quem longe serpentem et manantem

— — — — —

— Adspicies, proceraque Vincla videbis,
 Quae retinent Pisces caudarum a parte locata.
 Inde Nepae cernes propter fulgentis acumen
 Aram, quam flatu permulcet spiritus austri.

Propterque Centaurus

Cedit, Equi partes properans submergere Chelis.
 Hic dextram porgens, quadrupes qua vasta tenetur,
 Tendit, et illustrem truculentus cedit ad aram,
 Hic sese infernis de partibus erigit Hydra:

cujus longe corpus est fustum.

In medioque sinu fulgens Cratera relucet.
 Extremam nitens plumato corpore Corvus
 Rostro tundit: et hic Geminis est ille sub ipsis
 Ante Canem, Procyon Grajo qui nomine fertur.

Haec omnis descriptio siderum, atque hic tantus coeli
 ornatus, ex corporibus huc et illuc casu et temere cursi-
 tantibus potuisse effici cuiquam sano videri potest? An vero